



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Niderbvr g Monasterivm Monialivm Nobilivm In Passavv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

positum huius Ecclesiæ; sedulus fuit & diligens in administratione: præfuit an. 13. mens. 2. Ob. VIII. Id. Sept. an. 1577.

HIEREMIAS *Kirchmair Bavarus* huius loci Professor & Præpositus, vir religiosus & optimus Oeconomus, rexit an. 8. m. 3. d. 4. Ob. XIV. Cal. April. an. 1585.

ABRAHAMVS *Anzengruber Austriacus*, huius Ecclesiæ professor, electus est in Præpositum IX. Cal. Maij, an. 1585. sed post septennium demum confirmatus est. præf. an. 14. m. 3. d. 11. rebus neque suis, nec Monasterij benè consuluit, quemadmodum euentus probauit.

MICHAEL *Hererus Bavarus*, artium Magister & professor in *Bamburg*, postulatus est in Præpositum huius Monasterij; mansit an. 3. m. 7. d. 26. & iterum resignauit anno 1603.

**NIDERBURG MONASTERIUM MONIALIUM
NOBILIUM IN PASSAUV.**

VTILO Dux juxta Danubium Patauię Nidroburgium Monasterium construxit, dedicauit S. Pirminius, Meten. Episcopus, Virgines incolunt, circa Annum 739. Auent. fol. 291.

OTTO secundus Imperator hanc Abbatiam sui juris constructam & dedicatam in honore S. Dei genitricis, vnà cum Walachunestorf, cæterisque omnibus pertinentiis, Pilgrino Patauię. Præfuli, ob constantem ipsius fidem, Imperatori in perturbatione Boiariorum, scilicet in rebellionem fratruelis sui Henrici Hezilonis, Ducis Bauarię, præstitam, ac damna hinc passa, remunerationis ergò, perpetuò ac penitus donat ac tradit, precibus dilectissimi fratruelis Ottonis, Ducis Boiariorum, atque Wilhgisi Archiepiscopi scilicet Moguntinensis, Anno Domini 976, Extat diploma ibi, de quo apud Patauienses Episcopos sub Pilgrino.

HENRICVS sanctus tum Rom. Rex, ob preces conjugis Kunegundę & dilectissimi Ducis Hezelini, & in obsequium deuorum Heilke, diuę genitricis Ecclesię dat partem syluę Nortvald, in Comitatu Adalberonis à fonte flumine Vlza vsq; ad terminum syluę huius, vbi separat Bohemiam & Bauariam & decursum Vlçę & Rotilę vsque in Danubium. Datum 13. Calend. Maij Anno 1010. Guntherius Cancellarius vice Wilhgisi Archiepiscopi &c, Regane-spurch, Extat diploma.

SEPULTA est ibi in porticu prædicta Heilka cum hac inscriptione: Anno 1020. in die S. Tecklę virginis, obiit Heilka, amita S. Hein. Imper. prima Abbatissa huius Monasterij. Ibidem Anno 1095. Non. Maij obiit Gysala, S. Henrici Imperatoris soror, vxor Stephani, Regis Vngarię, Abbatissa secunda huius loci, hic sepulta aditox dextro latere, quę tam viro quàm filio orbata Patauiam in hoc Monasterium venit, in quo primum habitum monasticum assumpsit, paulò post Abbatissa designata, Monasterium præclare illustrauit & auxit.

IBIDEM in templo sepultus est Gregorius Episcopus, qui ex Oriente in Batauorum urbem venit, ex Vngaria scilicet, vbi Eremiticam duxit vitam.

ADDITIONES.

EX libro M. S. Decani Patauiensis anonymi: qui videtur fuisse Burckhardus cognomento Krebs ex Herrnbergâ Würrenbergensis Ducatus oppido natus; qui anno 1438. Decanatu Patauiensi præfuit; obiitque anno 1462. sicque tempore Friderici III. Imp. Austriaci vixit. Ait enim plerisque in locis dicti sui libri membranacei, se cum Friderico III. Imperatore Austriaco Neapoli fuisse: Lacum Alemannum seu Gebennensem cum ipso non absque periculo vitę transiisse:

transisse: & mandato Imperatoris huius de gestis, ortu & occasu Romanorum Regum scripsisse: Austriae etiam Chronica de materna lingua in Latinam translisse. &c. Sanè (inquit Decanus ille Patauiensis anonymus) cum illæ duæ Panoniar, media & superior, cum duabus Mæsiis, duabus etiam Liburniis, per beatos Philippo Imperatores, patrem scilicet & filium, Laureacensi Metropoli in massam substantiæ sint donate, ut sibi crearet diceceses magis longas & plures, & ea bona postmodum longè per barbaras nationes vsque ad interitum deleta fuerint, & prostrata: Idem Arnolphus Imperator., ad instantiam Archiepiscoporum & Episcoporum Laureacens. & Patauiens. taliter duxit patriam providendum, ut eidem per finitimos Episcopos, Salzburgen. videlicet, Sabonen. Rhetiarum siue Churien. Augusten. Frisingen. Aisternen. Herbipolen. Ratisponen. ordinaretur militia cum militibus imperialibus, pro custodia deputatis ipsis Metropolitibus satis bonis de redditibus, donec ipsa patria & Ecclesia ab insultu conquireret barbarorum. Quas possessiones infelices Archiepiscopi & Episcopi, vel potius idiotas, possessores ipsarum possessionum, quia datâ patriâ, & baptizatis Vngaris, ultimis videlicet barbaris, à succedentibus Imperatoribus nec postularunt custodes huiusmodi ab ipsis possessionibus remoueri, nec in suis priuilegiis ab Imperatoribus & Regibus postmodum impetratis, pro priuilegio huiusmodi aliquam fecere mentionem; sed quilibet eorum, ut aliquid videretur pro Ecclesia facere, causa jaçantia aserebat hoc & hoc à suo charissimo Domino, tanquam rem nouam specialiter impetrasse. Quod per omnia nostra priuilegia etiam per bullas aureas hodiè plene notatur. Nam longè ante Sanctum Pilgrinum Archiepiscopum Patauiensem Abbatia in ciuitate nostra ab Episcopis & Canonicis fundata & dotata extitit, & tamen S. Pilgrinus eam à quodam Imperatore Ottone obtinuit sibi dari. Et sic de omnibus successoribus actum est, ut rem propriam postulerent. Et hæc est causa quod Imperator in Austria nihil habeat; sed nec Episcopi prælibati, nisi in quantum ab Patauiensi Ecclesia possunt habere. Nam quod prius habere videbantur, occasione barbarorum, hodiè causa cessante, cessat possessio eorundem. Sic & hoc mendacium est, quod quidam autumant, mediam ciuitatem fuisse Imperatorum, & ABBATIOLAM instituisse. Sed hoc verum est, quod ille Tyrannus & destructor Ecclesiarum olim Comes Schyrensis, Dux postea Tachiuensis, demum Vngarorum auxilio, cuius sororem Rex Petrus Vngariæ habebat in conjugio, Dux factus Bavvarorum, ambiens Imperium, destructis maioribus & minoribus omnibus Ecclesiis Bavvariæ, tunc & Abbatiam illam, & dimidiam ciuitatem abstulit Ecclesiæ Patauiensi, quæ * Comitatus tunc protendebatur vsque ad possessiones Ecclesiæ Althahensis, ut solidos multos possit acquirere militibus tribuendos. Qui Arnoldus tunc temporis concessit sibi ab Imperio priuilegio, ut Archiepiscopos & Episcopos, Abbates, & Abbatissas institueret, & destitueret, pro suæ libitu voluntatis, eò amplius & facilius Ecclesias poterat dissipare. Sed postmodum eo mortuo, Henricus Imperator qui dicebatur Claudus, patre Hezelone natus, in ritus Sanctæ Kunegundis, ex Ducatu Bavvariæ ad Imperium assumptus, cupit Patauiensis restaurare, quas Arnoldus Dux dissipauerat, Ecclesiæ Bambergensi quæ de nouo construxerat, in possessiones propter Christum & beatum Georgium est largitus; sed minimè de possessionibus Imperij illi Ecclesiæ dedit, possessiones etiam Ecclesiæ Herbipolensi & Vultensi, Aistertensi plurimas donauit: bona etiam Patauiensis Ecclesiæ quæ in regali curte Osterhofen ad CC. mansus habuit, dedit Ecclesiæ Bambergensi: item Comitatum nostrum cum possessionibus ab Hiltza flumine vsque ad flumen Regem donauit similiter Ecclesiæ Bambergensi: item possessiones in Assab, quæ tunc habebant

Abbatia in
Nidern-
burg.

* pro Comitatus
Suel Comitatus.
Vid. Abbat.
Vrspergen.

Fulden.

bant multa telonia & passagia versus Bohemiam, Austriam & Bavariam, cum aliis bonis vicinis abstracta ab Ecclesia Patauiensi, Bambergensi est largitus. Et ut eandem Ecclesiam videretur placasse, particulam ciuitatis, quâ Patauiensis Ecclesia per Arnoldum spoliata fuerat, ipse restituit. Hic surgit quæstio Dominarum inhabitantium ibidem, quod non fuerit Patauiensi Ecclesiæ restituta, sed potius illis data. Quæ contentio multis annis durauit, pro eo quod inquilini sorores & nepres intrudentes in eandem, bona ipsorum suis vsibus applicabant. Hæc tamen quæstio diucius agitata nonquam potuit terminari, neque probari: cum Dominae super hoc priuilegia non haberent, unde stulti multi stulta multa loquuntur. Nam Tassilo primus Rex Baiariorum ante multa tempora Regum & Imperatorum Carolingorum Patauiensem urbem, & postmodum longo tempore eius abnepos Vtlo Dux Baiariorum ipsam restituit, cum omnibus appendiciis omni tempore ad vnam diætam, cultis & incultis, primùm Ecclesiæ Laureacensi. Vnde in tumba marmorea, in qua jacuerat ante translationem, beatus Philippus Augustorum munus, Romæ Epitaphium memini me legisse: HIC BEATVS PHILIPPVS Augustorum munus, qui donauit Metropoli Laureacensi patrimonium suum à vallo Syllano versus occidentem vsque ad flumen Lycum, in limite Danubij fluminis versus Septentrionem quolibet loco ad C. XX. miliaria legalia, & totidem versus Austrum. Nec est aliquatenus dubitandum, quod hanc massam possessionum hodie Ecclesiæ Laureacensi obtineret, nisi obstitisset impetus barbarorum, quorum nequitia faciente hodie status diuersarum Ecclesiarum claudicabat bonis omnibus vacuata, &c.

Diploma Arnolphi Imperatoris super Abbatia in Nidernburg Passauj.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Arnolphus Rex, Comperiat omnium fidelium presentium scilicet & futurorum industria, qualiter quidam Comes nomine Adalhart, precatus est clementiam nostram, ut cuidam homini suo Engelfrid vocato, quasdam res, quas ipse prius in beneficio habebat in Comitatu Chuncherti, in pago Thunagouue, in villa Wolfersdorff nuncupata, id est, hubam vnam in proprium donaremus. Cuius petitioni libenter, ob mercedis nostre augmentum, assensum præbentes, decreuimus ita fieri. Dedimus quoque eidem viro præscriptam hubam cum vniuersis appendiciis suis, diebus suis in proprietatem, hoc est, curtem cum casa & mancipiis, agris, pratis, pascuis, syluis, aquis, aquarumue decursibus, mobiliibus & immobilibus, viis & inuis, accessibus & regressibus omnibusue adjacentiis illuc iustè aspicientibus, & iussimus inde hoc nostræ autoritatis fieri præceptum, per quod decernimus atque iubemus, ut jam dictus Engelfrid de his omnibus securam habeat potestatem cunctis diebus vite suæ, sine vlla census stricturâ, & post obitum illius posteriori sui cum tali seruitio, sicut antea ex eadem huba priores fecerant, vnius ad potestatem monasterij sanctæ Mariæ Patauiæ constructi ex tota integritate possessionis suæ redigantur. Et ut hæc autoritas nostra firmiter habeatur & diligentius obseruetur, manu nostra subcus eam firmauimus, & annuli nostri impressione signauimus.

Signum Domini Arnolphi piissimi Regis. Aspertus Cancellarius ad vicem Deotmari Archiepiscopi recognoui. Datum VI. Idus Februarij Anno incarnat. Dñi. D. CCC. LXXXVIII. Indict. VI. Año I. regni Domini Arnolphi regis. Actum in ciuitate Regina, in Dei nomine feliciter, Amen.

Diploma

Diploina Ottonis II. super eadem Abbatiâ.

IN nomine S. & indiuidue Trinitatis. Otto diuina fauente clementia Imperator Augustus. Pareat omnium fidelium nostrorum tam presentium quam futurorum industrie, qualiter vir spectabilis Pilgrinnus sanctæ Patauensis Ecclesiæ Præful venerandus, partibus nostris fauens pro viribus, fide inconcussa, in perturbatione atque vacillatione Baioariorum ab aduersariorum perniciofa persecutione, tam incendiis quam in interfectione familiæ a deuastatione non paruum Episcopij sui perpeffus est iacturam. Cuius fidem atque constantiam æquum duximus remunerare, & Ecclesiasticæ desolationi regiâ munificentia solamen aliquod impendere. Vnde etiam non solum eius moti querelis, sed & alubescentes precibus dilectissimi fratruelis nostri, Ottonis Ducis videlicet Baioariorum, atque Willigisi Archiepiscopi, quandam nostri juris Abbatiam infra territorium sitam Patauensis ciuitatis, quæ est in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ constructa & dedicata, cum Walahunesdorf, ceterisque omnibus appendiciis, ad jam dictam Abbatiam iuste & legaliter pertinentibus, item, cum Ecclesiis, & ædificiis, omnibusque decimationibus, cum terris & aquis, cultis & incoltis, villulis, vineis, campis, pascuis, pratis, syluis, nemoribus, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, mancipiis vtriusque sexus, quæ sitis & inquirendis, ex toto & integro, de iure & donatione nostra eidem Patauicn. Ecclesiæ S. Stephani protomartyris Christi, per hoc præfens autoritatis nostræ præceptum pleniter in Christi nomine confirmatum donamus, tradimus, atque transfundimus, eo videlicet tenore, ut ipsa securiter, absque alicuius personæ contradictione atque molestia, more hæreditario perpetualiter in proprium teneat, atque possideat. Et ut hæc prædictæ fidei & firmitatis remuneratio, auctoritatisque nostræ donatio veriore firmioreque a cunctis fidelibus nostris perpetualiter habeat vigorem, iussimus hanc chartam conscribi, & sigillo nostro sigillatam manu propria subtrus firmauimus.

Vid. Tom.
2. Metr.
p. 292.

Signum Domini Ottonis Imperatoris Augusti. Engelpertus Cancellarius ad vicem Willigisi archicapellani notauit. Datum XI. Cal. Augusti, anno dominicæ incarnationis DCCCC. LXXVI. Indict. IV. Anno vero regni Domini Ottonis Imperatoris Augusti XV. Imperij autem IX. Actum Ratisponæ, in Christi nomine feliciter, Amen.

Catalogus Abbatissarum Monasterij S. Crucis in Nidernburg Patauij; quarum memoria è monumentis antiquis, & ruderibus Cœnobij istius iteratis vicibus igne combusti, erui posuit.

THECLA,

HEILICA, S. HENRICI Imp. restauratoris & quodammodo alterius fundatoris huius Monasterij ex fratre neptis: (sic habet Catalogus à moderna Monasterij huius Abbatissa Dn. Dorothea Renata mihi transmissus: sed malim legere amita, licet in Cod. Dn. Hundij impresso, errore typographi irreperit verb. amica) quæ inter homines esse desit an. Dn. 1020.

Vid. R. P.
Rader. SS.
Bannar.
Tom. II.
Auentin.
Annal. Bo-
ior. V pag.
419. v. 20.
Basil. edit.
an. 1045.

Numerant aliqui inter Abbatissas Monasterij Nidernburg S. GISA LAM Henrici Hezilonis Boiorum Principis filiam, S. Stephani Hungar. Regis conjugem; S. Imperatoris Henrici sororem; filij Emerami Sancti matrem: & hanc an. 1095. defunctum aiunt, neutrum ego sine teste asserere velim; Auentinum secutus, cuius de sancta nostra hæc sunt verba: Cæsar (Henricus III.) ex Vngaria reuersus secum Gifalam reginam uxorem

CVNZA,

VTA.

MERGARDIS.

ALHARDIS.

GERDRVDIS.

SOPHIA.

vxorem D. Stephani abducit, Bathauicę, vbi in templo sacrarum foeminarum eius Mausoleum ostenditur, ab Vgris venerabundis aditur, collocauit.

MATHILDIS.

TVTA.

RILINT.

Redacto in Cineres Monasterio, & eò miseriarum perducto, quod Abbatissæ pro dignitate nominis statusque sui viuere ex redditibus nequirent: constituta ad tempus loco fuerunt Decanissæ, nimirum

VRSVLA de Ramsdorf, quæ Ob. an. 1463.

MARGARETHA Mauernerin de Kazperg el. an. 1466. mortua, an. 1480.

BARBARA à Tannberg, suffecta an. 1481. dũ extremũ clausit an. 1494.

VRSVLA à Schönstain eodem an. 1494. Decanatum suscipiens Abbatissæ proclamatur, an. 1501. quod munus tanta industria & dexteritate obiuit, vt iure optimo Monasterium & Ecclesiam in Nidernburg, quasi de nouo constituisse audiat. Ob. an. 1513.

BARBARA Mauernerin de Katzenperg el. an. 1513. Ob. an. 1532. prælaturę 19. ætat. 62.

BRIGITHA de Seiboltsdorf in regimine successit an. 1532. decessit die 17. Nouembr. an. 1543. ætat. 48.

BENIGNA Zengerin eod. an. Abbatissæ declarata, Ob. 1546.

MARETA de Clofen el. an. 1546. def. an. 1551.

HELLENA à Schvvarzenstain, vita & regimine defungitur an. 1552.

MARGARETHA de Laiming, Ob. an. 1557. ætat. 75.

CHVNEGVNDIS à Puchperg bene & ytiliter præfuit annis triginta octo, Monasterio, quod multis præclaris ædificiis ornauit, def. 1594. ætat. 56.

BRIGITHA de Hauzenperg, munere suo aliquot annis optime perfuncta, tandem viribus deficiens, locum dat.

DOROTÆ RENATÆ modernę Abbatissæ, quę ab annis decem & octo laudabiliter præest.

Nider Münster zu Regensburg.

INFERIVS Monasterium Ratisbonense, Nobilium virginum Collegium, vti de superiori Monasterio scripsi, institutum per Iuditham, filiam Arnoldi Mali, Ducis Bauarię, vxorem Heinrici primi, Ducis Bauarię, ex gente Saxonum, fratris Ottonis primi, & Magni Imperatoris, rarę pulchritudinis & pudicitię foeminam, quę Reginoburgij sacrarum foeminarum contubernium, quod inferius vocant, extruxit, vbi eius mausoleum in aditu monstratur. Hoc testantur diplomata Ottonis primi Imperatoris Magni, qui aliqua prædia & curtes dono dedit, nec non Heinrici sancti, quorum tenor mox sequitur.

Ex Conu. do de Maidenburg.

Auent. lib. 5. in principio.

D. RATHO Damasianus Comes, eo tempore Orientalis Boiarię, nunc Austriae Marchio, cum hac Iuditha supplicandi gratia Hierosolymam profectus est.

IBIDEM sepulta est D. Gifala, vxor Heinrici secundi, Ducis Bauarię, mater Heinrici sancti Imperatoris, vt testatur crux aurea, à filia huius Gifalæ, Regina Vngarię donata, Auentin. fol. 500.

DOCTOR Laurentius Hochvart, Canonicus Ratisponensis & Patauiensis, supra etiam citatus, vir sanę, vt ab amico nostro Wolphgango Hungero in annotationibus super Cuspiniani Cæsares verissimè commendatur, tum sacrarum, tum humaniorum literarum benè doctus, & veterum monumentorum avidissimus inquisitor, in Chronica sua Episcoporum Ratisbonensium (quæ in descriptione Episcoporum Ratisbonensium non parum fuisse adiutum ingenuè profiteor) hoc Monasterium scribit extructum esse, Anno Domini 900.

Metrop. Saltib. Tom. II.

Ddd

DIPLO-